

Cap. LXXXXI. De barberiis et mercatoribus et aliis personis qui non audeant laborare diebus festivis vel tenere apertas ¹⁾ stationes.

Restringimus quod ne quis barberiorum audeat in civitate Tergesti exercere artem suam diebus dominicis, festivitibus sancte Marie, Apostolorum, pasche et pentecostene, Patronorum nostrorum de Tergesto, sub pena viginti sold. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta. ¶ Et etiam nulla persona sit ausa laborare in civitate Tergesti vel eius districtu in diebus dominicis, Patronorum nostrorum et aliorum sanctorum et sanctarum, quorum vel quarum festivitates proclamantur per preconem Tergesti, sub pena viginti sold. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta. ¶ Nec etiam carigare vel descargare laperam lapides ligna saramenta vel lotamen vel quascunque alias tales res in aliquo die, quo celebratur Tergesti aliquod festum alicuius sancti vel sancte, sub dicta pena pro quolibet [et] vice qualibet contrafacta. ¶ Preterea nullus mercator tabernarius cerdo staconarius sit ausus tenere suas stationes vel tabernas apertas in diebus infrascriptis, donec non pulsaverit pro maiori missa, que fit in ecclesia sancti Iusti, sub pena centum sold. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta, et acusator habeat tertium // condemnationum, qui dies sunt hii: videlicet in diebus dominicis, in festivitibus sancte Marie, in festivitibus Apostolorum, Patronorum nostrorum, Iohannis Batiste et Evangeliste, et etiam pasche.

Cap. LXXXXII. De piscatoribus. R.ca.

Statuimus quod nulla persona civis vel habitatrix Tergesti sit ausa piscari in mari cum pareglariis, vel ponere in mari ali(o)quos pareglarios subtiles, causa capiendi pisces, sub pena vigintiquinque libr. par., et quilibet possit contrafatientes acusare et habeat tertium condemnationum, et qui invenerit

¹⁾ Aggiunta in corsivo sopra il rigo.